


J. J.  
DE  
PHILOSOPHIA EFFECTIVA  
SUB PRÆSIDIO  
VIRI  
*Nobilissimi, Amplissimi atq; Excellentissimi*  
DN. M. DANIELIS GUILIELMI MOLLERI,  
Metaph. & Histor. Prof. P. meritissimi,  
DOMINI AC PATRONI SUI  
*honoratissimi,*  
AUCTORITATE ET INDULTU AMPLISSIMÆ  
FACULTATIS PHILOSOPHICÆ,  
PRO  
SUMMIS HONORIBUS ET PRIVILEGIIS  
PHILOSOPHICIS  
rite obtinendis  
*paucas has Positiones publicè proponit*  
ad d. Jun. Anno M. DC. LXXXVIII.  
LEONHARDUS CHRISTOPHORUS STURMIUS.

---

ALTDORFFI  
Literis SCHÖNNERSTÆDTIANIS.




Q. D. B. V.

Præfatio.



**N**imus mihi dudum fuit, pro Disputatione Inaugurali, quantum equidem per ingenii mei tenuitatem liceret, de Philosophia illa parte, qua Effectiva vocatur, nonnihil in charitate conquire, argumento quippe non ita trito & exhausto, in quo adeo aliquam locasse operam, carere omni laudè non posse sperabam. Plus etiam lucis mihi circa hanc rem affulsurum esse credidi, si quod jam ex variis Auctoribus collegèram, publico subjicerem examini, & aliorum adeo reconditas cogitationes simul alicerem, quæ meos deinde in usus convertere pariter liceret. Et sane eo usque jam excreverant ista mea collectanea, ut unis alterisque philijs adimplendis facile sufficerent; quæzidieque adhuc reperio, quæ ex floribus quasi variis in illas cellulas congerere in promptu est. Cum verò de coordinandis atque componendis illis, quæ cœgeram, cogitarem, spatii & temporis brevitatis, ex proximiorè Panegyris Academicæ accessione resultans aurem mihi vellicabat, consiliūmq; mutare jubebat. Quare ne plane ad aliam mihi materiam transeundum esset, constitui mecum palmaria solum capita de Philosophia Effectiva in paucas & succinctas theses, unam modo philiam aut quod excedit expleturas, compingere. Quam ob rem ab omnibus præmo controversis, quantum fas erat, abstinui, & præcipuas lineas dumtaxat, aliquot recensui. Porro etiam Auctorum testimoniis adducendis supersedere volui, ne probationes quidem assertionum mearum adjungendas ducens. Neq; partes Philosophiæ hujus Effectivæ singulas sollicitè hic definiendas existimavi, sed in sola nominum ferme recensione adquirevi. Has igitur paucas brevesq; theses benevolo tuo iudicio Lector Honoratissime sisto, idq; Te cum primis rogitavit, non pagina, sed ingenii mei angustiam, non Disputationis, sed temporis exiguitatem incusare velis.



J. J.

§. 1.

**O**missis aliis Συναγωγείας hujus membris, quæ occurrere possent, tria hic peculiariter perstringemus (1.) Varias de Philosophia Effectiva tum Veterum tum Recentiorum sententias. (2.) Ejusdem definitionem, ac (3.) qualemcunq; Divisionem.

II. Hic verò ante omnia occurrunt Aristoteles, qui negari non potest, quin Effectivas quoq; scientias pro parte Philosophiæ habuerit. Ita v. g. lib. V. al. VI. Met. cap. 1. ἡ ἀπασα διάνοια inquit, πρακτικῆ, ἢ ποιητικῆ, ἢ θεωρητικῆ indeq; cum paulò ante jam probasset, quod Physica scientia ἔτε πρακτικῆ ἔστιν ἔτε ποιητικῆ concludit deinceps ὅτι ἡ φυσικῆ, θεωρητικῆ τις ἀνάη. Et cap. 2. ejusd. lib. probaturus non dari scientiam ejus quod est per accidens, ἔδμηα γὰρ ἄπιστήμη ἄπιστμελές πρὸς αὐτὰ, ἔτε πρακτικῆ, ἔτε ποιητικῆ, ἔτε θεωρητικῆ.

III. Scientiæ quoq; differentias esse Theoreticum, Practicum, & Effectivum, Stagirita VI. Top. III. diserte docet. Illustrandæ quippe regulæ isti, quod eorum quæ sunt πρὸς τι, differentia quoque debeant esse ἐκ τῶν πρὸς τι, exempli loco affert scientiam, quæ θεωρητικῆ καὶ πρακτικῆ καὶ ποιητικῆ dicatur, quæ differentia omnes respectum ad aliquid involvant. Et VIII. Top. II. ab initio inter Divisionis exempla hoc affert, ὅτι τῶν ἀπιστημῶν αἱ μὲν θεωρητικαὶ αἱ δὲ πρακτικαὶ, αἱ δὲ ποιητικαὶ. Conf. lib. VI. Eth. ad Nicomach. c. II.

IV. Sed præterquam quod scientiam pro Grammaticæ genere cit. VI. Top. III. Musica IV. Top. cap. ult. sub finem. Medicina quoq; II. Met. 2. posuerit, quodq; superius alleg. lib. VI. Met. 2. πρὸς ἀνοδομοικῆν inter Effectivas nominatim retulerit & similia, certe non adeo etiam multa reperire apud ipsum dabitur, in quibus de Effectivis

ctivis

ctivis scientiis in Actu signato quidem, ut loquuntur scholæ, specialius ageret.

V. De Platone testatur Diog. Laërtius in ejus vita, quod Scientiæ tria agnoverit genera, τὸ μὲν πρακτικὸν (quo refert præter Politicam καὶ τὴν ἀυλητικὴν καὶ κρητιστικὴν, omnesq; illas quæ spectabile quoddam opus non relinquunt, sed aliquid agunt solum) τὸ δὲ ποιητικὸν (ut ἡ οἰκοδομικῆ καὶ ναυπηγικῆ aliæq; quorum opus aliquid spectare, etiam post operationem licet (τὸ δὲ θεωρητικὸν (ut Geometria, Harmonica, Astrologia sive Astronomia &c. quæ nec agunt nec efficiunt aliquid) quam equidem Divisionem apud ipsum Platonem quoq; in Politico videre licet.

VI. Quod alios Veterum attinet, eos equidem Philosophiam Effectivam non adeo magni fecisse ex Woweri Tractatu de Polymathia c. 29. concludere in proclivi est. Qua ratione Lucianum quoq; in contemptum disciplinarum effectivarum citat Sennertus in Prol. ad Inst. Phys. apud quem Ligone aliquis se Philosophatum esse dixit: quem tamen locum in meliorem partem adversæ alias sententiæ cultor Isendorn interpretatur in Effat. Phil. Cent. I. c. I. p. 4. Seneca vero in Epistola 89. adjuvare quidem Philosophiam disciplinas Effect. confitetur, partes tamen Philosophiæ esse diserte negat. Cui similem quoque sententiam Pythagoræ esse laud. Wowerus l. c. c. 27. asserit, qui hoc ipso etiam cap. locum allegat ac testimonia quædam aliorum, ex quibus constat de Epicuro ex Epist. ad Pythoclem, omnes disciplinas etiam ita odisse, ut plante eas fugere jussit. Tametsi cum hac limitatione sic ipsum statuisse non sine causa forte dixerim, quatenus ad animi tranquillitatem sive statum imperturbatum non conducunt.

VII. Hæc de Veteribus sufficiant. Recentiores quod attinet eorum quoq; diversæ sunt sententiæ, interq; omnes vix unum alterumq; videmus, qui ex professo, quod ajunt, & accuratius, de hisce disciplinis agere constituerent.

VIII. Qui ex Philosophiæ pomœriis eas exterminare allaborant,

rant, eorum certe; ex Aristotelicæ præsertim Philosophiæ cultoribus, magnus est numerus. Horum argumenta si desideremus selectiora, colligere licebit ex Sennerti proleg. ad Instit. Phys. Georg. Majeri (nescio an satis firmis rationibus contra Watsonium pugnantis) Gnostologia P. Spec. c. 1. th. 5. Kekermanni deniq; præcognitis Philos. qui tamen hoc ipso loco sibimet ipsi contrariari jure videri possit.

IX. Alii non plane eas rejiciunt, qui tamen earum tractationem omisere, existimantes Effectivum subesse pratico. Wowerus sæpe cit. Polymathia suæ studiosum medium collocat inter Philosophiam & eum qui Philosophari non audet. Eundem tamen liberalibus potissimum artibus instructum esse cupit. Sunt vero qui artes liberales in Philosophicarum scientiarum censum contrulere, de reliquis tamen artibus nulla ratione quicquam admittere sustinentes. Dantur denique, quibus Philosophia pro quavis cognitione sumitur. De his ut & de proxime præcedentibus vid. Isendorn Effat. Phil. cent. 1. c. 1.

X. Hæ sunt palmaria sententiæ de Philosophia Effectiva, quas me legere memini. Ex his (superfedendo earum ulteriori ventilatione & conciliatione,) decerpemus breviter optimos quosq; flores & secundum probabilissimam, quæ nobis videtur, sententiam, delineabimus Philosophiam nostram Effectivam. Et primo quidem ad Philosophiam pertinere disciplinas hæc indubitanter assero, non tam quatenus ipsæ efficiunt aliquid (hoc enim artium est) quam quatenus efficiendi modos & rationes demonstrant (id quod est scientiarum proprium.) Quamvis nec Effectivam adeo Philosopho absolute indignam esse crediderim, cum Deus pariter, dum mundum creavit, aliquid effecerit, vid. Celebb. atq; Excell. Röttenbeccii Patroni mei ac Præceptoris summa observantia colendi Orat. in aug. de Dignitate Philosophiæ Practicæ. Quæ vero in contrarium afferuntur argumenta, vix me vidisse recordor, quod multum adeo in recessu haberent. Illud certe, quod ex super-

superadditis Effectivis confusionem metuunt, omnium earum numerum, difficultatem & amplitudinem Philosophiæ id quidem evincit; qui vero exinde concludant, ad Philosophiam eas non pertinere, haud video. add. Wowerus de Polym. c. 29.

XI. Asserta ita qualitercunq; Effectivæ Philosophiæ Existentiæ, ad definitionem ejus transgredior. Posset definiri breviter, quod sit *Scientia de Artibus*, sive cognitio demonstrativa earum veritatum, à quibus regulæ artium jam receptæ dependent ac deducuntur, vel etiam novæ, ad effectus novos producendos promanant. *Talis itaq; est Philosophus Effectivus, qui cognitæ habeat rerum efficiendarum causas, earumq; effectivam in communi vita aut in partibus reliqua Philosophia utilem vel necessariam* (quæ sunt verba Watsonii S. 2. c. 1. §. 3.) Ad hoc vero neq; ipsa effectio neq; ut eam doceant præcisè requiritur. Proinde Philosophiam Effectivam brevissime definimus, quod sit scientia causarum & operandi modorum in rebus efficiendis; aut prolixius accuratissimis verbis Excellentiss. DN. PRÆSIDIS Patroni mei ad urnas devenerandi, (cui in hoc quoq; studio non parum debeo:) *Philosophia effectiva est doctrina quæ non solum fundamenta rerum factibilium traduntur, sed & ex illis modi actionesq; effectivæ deductæ proponuntur, juxta quas & Philosophi judicare & opifices operari accurate & utiliter queant.*

XII. A Definitione ad *Divisionem* progredimur, quæ difficilis equidem est, tum propter multitudinem scientiarum, tum quia arduum repertu est fundamentum, cui commode & ordinate superstrueretur Divisio. Nec mihi alia fere dividendi ratio nunc occurrit, quam ut habeatur respectus ad diversitatem effectuum sive operum ad quæ tendunt effectivæ hæc scientiæ, atq; adeo artium ipsarum hinc derivatarum & opera ista producentium. Harum vero differentiam quidam perierunt exinde, quod quædam animæ inserviant, quædam corpori, quædam utriq; simul. Sed hanc ob subtilitatem communiter explodunt. Add. Wowerus de Polym. c. 3. §. 1. Ejusdem farinae fortasse foret si petatur ab artium causa

caussa finali, quæ est imbecillitatis humanæ medela quædam & adiutorium: præ aliis vero sequens nobis placet, qua scientias Effectivas primo distinguimus in eas quæ sunt de liberalibus, sive (ut Ciceroni dicuntur) ingenuis, sive (ut Senecæ,) bonis artibus, & illas, quæ sunt de illiberalibus, quas sedentarias etiam & manuaras vocant.

XIII. Scientias artium liberalium ulterius distinguo in principales & Instrumentales. Wowerus in Polymathia cap. 3. eas partim Logicas facit partim Mathematicas. Principales sunt quæ per se non faciunt ad alias disciplinas. Hæ sunt 1. Medicina. 2. juxta Majerum in Gnost. Practica Juridica, & 3. Mathesis quam vocant communiter (nescio an satis concinna voce) practicam, aliis quoq; mixta, aliis iterum adplicata vocari solita.

XIV. Medicina quin ad Effectivas spectet disciplinas nullus dubito. vid. Watsonius Syn. Phil. l. 2. c. 9. §. 1. Majerus in Gnost. P. Spec. l. 1. c. 5. Wowerus Polym. c. 3. §. 2. seqq. Huic vero cognatæ sunt aliæ plures, ut Anatomica, Chymia, Chirurgia, & imprimis Pharmaceutica, quas artium nomine merito venientes, præ supponere tamen suas etiam cognomines scientias, vel solius ultimæ exemplo testatur Willistii Pharmaceuticæ rationalis, quam Scientiam Pharmaceuticam omni jure dixeris. Praxin vero Juridicam quod concernit, cum ipsam Jurisprudentiam aliqui, inter illos Mævius in Prodr. Jurisprud. sive Nucleo Juris naturalis, nec fortassis injuste, ad Philosophiam referant (saltem quoad eam partem quæ in naturali jure fundamentum immediate habet) referri fortassis ad Effectivam Philosophiam possit. Interea tamen hanc circa rem litem mihi conciliare nolim, hoc unum dixisse contentus, quod si vel hæc praxis Juridica vel etiam Medicina inter Philosophiæ effectivæ pomoeria coerceri renuant, è scientiarum effectivarum numero tamen eximi vix possint.

XV. Mathematicam quod attinet, ea quin ad effectivam Philosophiam spectet quis dubitet? Hæc iterum se in plures dispescit

ra-

ramos (1.) reperimus ibi *Analytin* quam vocant speciosam, quæ certe unica fere ars est veritatem inveniendi, adeoq; ab aliquibus ad Logicam etiam refertur. vid. Bernoulli in Orat. de usu Logicæ. (2.) *Mechanicam*: quam alii Staticam vocant, alii in Staticam & Kineticam dividunt. Ex his vero quot & quanta fundamenta variarum artium fluant, si recensere velimus, hæc plagula vix omnibus capiendis foret. Ac profecto, si quis modo rusticum, qui currum fimo onerat, intueatur, phænomenon habet in quo profunde philosophari possit. His subordinatam certe deprehendimus Typographiæ illam partem quæ Impressoria dicitur, quam Majerus quidem in Gnostologia ad Grammaticam refert; eodemq; referri etiam potest Chalinothliptica sive frenorum conficiendorum scientia, cujus egregium specimen vid. apud Stevinum Opp. Mathem. Append. Stat. part. 4. & ex mente Watsonii res etiam Monetaria. (3.) *Architectonicam*, quam, partim in duas, partim in tres quoq; nec immerito, dispescunt partes, nempe in Civilem, Militarem, & (quæ minus apud nos cognita, æque tamen artificiosa mirabilis atq; regularis quoq; est) Navalem. Quod si quis Architecturæ militari Tacticam, Pyrobolicam, similesq; artes conjungere velit, id per me quidem licebit, dum id modo obtinero, scientifici quid in his omnibus quoq; locum habere. Circa nomen Civilis Architecturæ si quis dubitet an recte opponatur militari, per nos licebit. (4.) *Geometriam* quam vocant practicam h. e. Evthimetriam, Epipedometriam & Stereometriam; sub Geometriæ quoq; notione Trigonometriam comprehendendo: quin & (5.) *Arithmeticam* ac (6.) *Geographiam*; adde (7.) *Opticam* cum suis partibus, quo pertinet etiam scientia de parandis lentibus tuborum & aliorum perspicillorum, cujus ipsum quoq; exercitium Philosopho indignum haut est censendum. Quibus addenda (8.) est *Perspectiva*, ad quam refertur aut quæ potius ipsa est ars pictoria aut verius pingendi scientia. (9.) Hic *Astronomia* coruscat, ex qua proveniunt Calendariographia, Prognostica, Chronolo-

B

gia,

gia, Sciaterica, quæ Metallorum etiam atq; Magnetis cognitionem requirit, & secundum sententiam quorundam, sed falsam, Astrologia judiciaria; tandemque ( 10. ) Harmonica, quæ Musicæ artis fundamenta scientifica tradit, de quibus videri possunt Celebb. Abdias Trew in Directorio Mathem. & Carres in Tr. de Musica.

XVI. Sequuntur hinc *Instrumentales*, quas porro dividimus in *generalem* unam, quæ pædia dicitur, & reliquas *speciales*. Ad Pædiam videtur spectare, aut saltem usum ei præstare maximum, Noticia de varietate ingeniorum, de qua plura peculiaria hodie volumus doctissimorum virorum scripta. Intellego vero *Pædia* nomine aliam disciplinam quam Majerus in Gnostologia, qui Pædiam definit per habitum instrumentalem de materia cujus vis disciplinæ accurate judicare docentem. vid P. Spec. c. 6. th. 2. f. 1. *Speciales* iterum subdivido in *necessarias & jucundas* h. e. tales quæ maximum quidem usum præstant in vita humana, interea tamen non tam necessitatem hominum quam voluptatem spectant, uti v. gr. necesse homini est ut loqui clare ad aliorum captum queat, jucundum vero & utile, ut figurate & scite loquatur.

XVII. *Necessaria* sunt ( 1. ) *Logica* quæ duas in partes se diffundit, in *Dialecticam* & *Analyticam*. Huc quoq; connumerantur *Methodologia*, *Bibliographia*, *ἐπιμνηστική*, ( quam Wowerus in Polym. ad Grammaticam refert ) & *Didactica* Quin & locum hic aliquem saltem ex gratia invenient *Ars Lullii* & *Ars notoria* Corn. Agrippæ operibus inserta Tom. I Fortassis etiam *Mnemonicæ*. ( 2. ) *Grammatica*, quam certe laxissimis cancellis circumscribit Wowerus in Polym. Majerus in Gnost. l. c. ad eam *Typographiam* quoq; tum compositoriam tum correctoriam recte refert. Huc quoq; accedit *Lexicographia*. ( 3. ) Separiter hic insinuat *Pathognomica*, affectus ita informans, ut non impediatur, sed promoveatur potius mentem in cognoscendis rebus & ( 4. ) *Æsthesionomia*, quæ sensus ad facilem & non impeditam cognitionem instituit. ( 5. ) Deniq; hic consideranda venit *Dialogistica*, quo spectant *Epistolographia* & *Steganographia*.

XIII. Ju-

XIII. *Jucunda* five quodammodo voluptuariæ sunt ( 1. ) *Rhetorica*. ( 2. ) *Poëtica*. ( 3. ) *Sophistica*. Ad Rhetoricam nonnulli referunt Tropologiam ac Pathologiam, sed comode id fieri negat Watsoni Syn. Phil. f. 2. c. 5. §. 6. ad Rhetoricam partim, partim ad Poëticam Epistolographiam sunt qui ablegant, quos suo sensu abundare permitto. Poeticen quoq; ingrediuntur Mythologia & Dramatica. Imo harum Scientiarum in censum quidam revocabunt Magiam illam Cornelii Agrippæ, quam ipse Philosophiæ titulo insignivit. vid. Watsonius Syn. Phil. f. 2. c. ult. §. ult. de quo ipsi illi videant quo jure quave injuria. Si quis tamen hujus rei ulterius aliquid desideret, ille Carolum Stain, Stengelium, Sanchez, Delrionem, Ressumq; consulat.

XIX. Indigitatis liberalium artium scientiis, jam ad eas pervenimus, quæ de illiberalibus sunt, quoad quoque exercitium quidem ad opifices ablegandis, quoad fundamenta quædam scientifica autem, è quibus operationum rationes opificibus plerumque ignoræ, peti, aut novi operandi modi deduci possunt, Philosophiæ Effectivæ nomine dignis. Dividi hæ quoque possunt in *Necessarias & Jucundas* & voluptatem magis usumve respicientes. *Necessariæ vel sustentationem* corporis attinent, vel *habitationem*. Quæ sustentationem, vel ad victum pertinent, ut res coquinaria, agri-hortorumque cultura &c. ( de quibus quam multa utilia jucunda & Philosopho non indigna cognosci possint, ex Coleri dudum nota Oeconomia, & clarius adhuc ex recens edita Illustriff. Dn. Baronis ab Hochberg. ) vel ad amictum, ut Sartoria, Sutoria; &c. Circa quas ipsas quoque Philosophandi occasio non penitus deficit. Quæ Habitationem comodam præbent artes manuariæ, quales sunt lapidarum, fabrorum, murariorum, lignariorum &c. suarum rerum speculationes quas offerunt non paucas, vel ad Architectonicam ipsam, vel ad Mechanicam referri patiuntur. Denique voluptuariæ sunt de arte equestri, lusoria, balneatoria &c.

XX. Atque ita breviter adumbravimus tam laxum Philoſo-  
 phiae Effectivæ ambitum , ſolum enarrando nomina partium in  
 quas illa diſpeſci poſſet, accuratiorem tractationem vel occaſioni  
 cuidam comodioreſervantes, vel aliis ingenioſiorib⁹ relinquen-  
 tes, qui partim eam ex bonis Auctoribus, quorum haecenus non-  
 nullos citavimus, partim ex ipſa Experientia , ſi v. g. operariorum  
 officinas frequenter tantum otioſi ingrediantur & varia ſciſciten-  
 tur, haurire comode poterunt. Et ſic ſinem hiſce lineis imponen-  
 tes, Deo gratias ex imo pectore agimus, pro benigna ſua adſiſten-  
 tia, atq; rogamus humiliter, ut porro ſtudiis noſtris adſiſtat, inque  
 ſua gloria, verumque noſtrum emolumentum  
 omnia dirigat.

COROLLARIA.

I.

*Si quis à Magiſtratu tormentis adigatur, ad arcana ab amico credita  
 manifanda, ille ad taciturnitatem, vel juramento adſtrictus ami-  
 co, non obligatur.*

II.

*Demonſtrationis doctrinam, qua in vulgaribus Logicorum libris reperitur,  
 non magni uſus eſſe exiſtimo.*

III.

*In Metaphyſica vulgari vix eſſe crediderim, quod majorem uſum præſtet  
 quam doctrina cauſarum.*

IV.

*Circulationem ſucci nutritii in plantis intrepide aſſerimus.*

V.

*Architecturam militarem Diſputationibus Academicis etiam materiam  
 ſatis laudabilem ſuppeditare poſſe, non dubitamus.*